

29

22

SUSANNA,  
 NUPTIIS  
 SIGISMUNDI  
 THEOPHILI (V. CL. THEOPHILI F.)  
 RICHI, I,  
 CONSILIARII MARCH. BRANDENBURG.

&  
 ANNÆ MARIÆ  
 HOLBECCIÆ,  
 VIRGINIS PATRICIÆ  
 RATISPO:


*ornatissimorum & lectissimorum  
 sponsorum.*

CONDECORANDIS ET EXHILARANDIS,  
 adornata ablegataque

ALTORFIO AMBERGAM,

à  
 CONRADO RITTERSHUSIO,  
 J.C. PROFESSORE NORICO.

ANNO  
 MDCIV.





A D

clariss. & prestantiss. virum,

# D. THEOPHILUM

RICHIIUM, CONSILIARIUM

ELECT. PALAT.

PATREM SPONSI:

Dn. & amicū observ. & benè mer.

## PROLOGUS AUCTORIS.



Vas passim amici digno honestant mune-  
 Quid ò quid ipse ad nuptias nati tui, [re,  
 RICH, adferam benè auspicas, muneris?  
 Certè ad sacrum hoc tanti me amici nō decet  
 Venire inanem; quin meo depromere ex

Censu, novis gratum fore quod nuptis putem,  
 Suisque commendent quod olim prolibus.

Tu ò, quæ pudoris integrum casti decus

Vitæ anteferre non dubitabas, quum senes

Libidinis te victimam, (at frustra) suæ

Deposcerent, fictoque deinde crimine

Non erubescerent gravare innoxiam:

Cujus puer, sacro excitatus spiritu,

Produxit in lucem innocentiam integram,

SUSANNA, Romanâ togâ quam jam indui

Pro vitibus, χαμήλιον te RICHIO,

*A* PROLOGUS AUCTORIS.

Præclari amici filio summæ spei,  
ANNÆ & MARIÆ, casti amoris vincula  
Quos copularunt fœdere insolubili,  
Ne denega mitti, atque Rittershusii  
Vicariam fatere adesse te tui:  
Qui, quidquid est felicitatum, his nuptiis  
Faustâ adprecatur voce, cordis nuntiâ:  
At laudibustam RICHII quàm HOLBECCIAM  
Deprædicandis, imparem longè suam,  
Musam fatetur, atque partes cedit has,  
Obire qui melius potissint, vatibus  
Beatioris uberiorisque ingenii.  
Neque hi peregrinationes RICHII  
Multas tacebunt, & pericula plurima,  
(Quorum recordari, est voluptas maxima,  
Cum salvus inde evaseris DEO duce)  
Auctam & per hæc patientiam & prudentiam,  
Enavigare queis salum hoc vitæ queat,  
Salvamque navem portum in ipsum appellere.  
Ego patri natum receptum gratulor,  
Patremque nato, & virgini sponsum suum,  
Votis petitus mille cui jam redditus est,  
Votis petita mille quæ ipsi jam obvenit.  
Desideratæ plus habent res gratiæ,                   “  
Sudore parta dulcior victoria est.                   “  
Labore destituta palma, in gloria est.                   “  
SUSANNA casus sed suos jam promito.  
Fors hîc erit, mores quod adjuvet bonos.

SUSAN-

3

# S U S A N N A,

I N I Q U O J U D I C I O, E X F A L -  
S I S T E S T I M O N I I S L A T O,  
L I B E R A T A.



*C*ARTIVOS inter quidam, de gente profectos  
Judæâ, Joachimus erat Babylonius hospes;  
Qui sibi connubio junxit propriamque dicavit  
Helkiada natam, formâ præstante puellam:

SUSANNA huic nomen cari imposuere parentes,  
Lilii in Hebræo deductum idiomate flore,  
In quo candor odorque suavis mutuo certant.  
Nec pudor illi aberat formæ, aut reverentia cæli:  
Quâ sine decipula est incentivumque malorum  
Oris honor roseus, speciosa & gratia formæ.  
Hac genere orta bono, non desciscibat avitis  
Moribus: & speculum vitæ exhibuere parentes  
Ipsi Mosaicam legem; hanc callebat ad unguem.

Vir porro prædives erat Joachimus opum, atque  
Continuos coluit spaciosis adibus hortos  
Irriguos: ubi se recreans cum conjuge dulci, &  
Parvis cum natis, certantibus oscula patri  
Fesso præripere, curas, durosque labores  
Ponere, nubem animoque abstergere sæpè solebat.  
Cumque esset populi longè clarissimus unus  
Judæi, oraculi quoque erat domus ipsius instar,  
Perpetuoque patens popularibus ejus asyllum,

Unde ex ambiguis firmi certique redirent.  
 Pratorésque aliquando novos cum posceret unus,  
 Qui populo dubias possent discernere causas,  
 Iudicio justo, libræque examine recto,  
 Binis de populo senioribus obtigit hæc sors.  
 Nec verò immunis vitii est grandior ætas  
 Semper, & in canis probitas reperitur ubique.  
 Est quoque ubi vitii se polluit ipsa senectus,  
 Quique aliis fieri rectorum regula morum  
 Debuerant, in nequitia cecidere barathrum.  
 Inprimisque senilis amor turpissima res est.

Talis & illorum Babylone erat improba biga;  
 De quibus ipse DEUS tulit istud iudicium æquum,  
 Quæis nostri fuerat populi data cura regendi,  
 Nequitia fons est ab eis senioribus ortus.  
 Assidui ergo domum Joachimi illi ire solebant,  
 Et quibus inter se esset controversia nata,  
 Hosce sequebantur, jus ipsorum ore petentes.  
 Fortè poli medium Phæbus conscenderat axem,  
 Et media curare suaserat hora diei  
 Corpora; quisque domum è cætu, ut consuerat, abire.  
 Tunc Susanna viri virides sese abdere in hortos,  
 Atque animum atque oculos spaciando ibi pascere pictis  
 Floribus, & variarum per discrimina frugum.

Hanc ubi cottidie intrantem illò biga senilis,  
 Nobile par Beliale satum, scelerumque patronum,  
 Advertère, animis illapsa est fæda libido,  
 Et sceleratus amor mentem de tramite recti  
 Deflexit, nubemque oculis offudit amantum.  
 Nec metus ullus erat superum, aut respectus honesti

Cæcatis

Cacatis per amorem animis: nec jura nec aequum,  
 Jam meminere ultra: potiundique unica cura,  
 Illicitis fatuos exercet amoribus, atque  
 Dant operam assidue, ut saturata libido quiescat.  
 Quisque sibi soli pradam illam destinat imis  
 Vulnus alens venis, & caco carpitur igni.  
 Attamen inter se per mutua dissimulantes,  
 Non retegunt animi morbum, quâ parte laborent,  
 Ac utriusque pedes quâ calceus urget iniquus.  
 Namque pudebat eos tam fœda libidinis ausa  
 Prodere, & hos tantos insani pectoris estus.  
 Scilicet arcano quodam natura pudore  
 Et scelera obsepsit, posuitque repagula probris,  
 Ac dedit, ut metuat, male quæ sibi conscia mens est,  
 Tardius in vitium ut rueremus, & improba facta.  
 Pabulum at intereâ sibi uterque parabat amoris  
 Aspectu formæ sibi amate cottidiano.  
 Non est quippe nihil, postrema in lineâ amoris  
 Herere, & visâ sua pascere lumina amatâ.  
 Tempus erat, quo sol medio fulgebat in axe,  
 Verticeque è summo brevius contraxerat umbras:  
 Prandia & in patinis animus suadebat adire,  
 Ac dare quod placet stomacho latrante querelam,  
 Idq; ipsum illi inter se commonuere sodales:  
 Prandii adest tempus: curemus nos quoque corpus  
 Quisque domi nostræ. Sic digrediantur uterque.  
 Mox aliâ rediêre viâ: neque prandia tanta  
 Sunt ipsis cura, quantum sua fœda libido  
 Torquet eos, subigens facinus patrare nefandum.  
 Postquam ita convenere citò atque ex improvîso:

S U S A N N A

Dic tibi quid causa fuit huc subitò redeundi:  
 Imò dic mihi tu: socium sic quisque rogabat.  
 Tunc percunētantes ita se, sua probra fatentur  
 Mutua, & ardores animorum, & crimen amoris,  
 Conceptumque nefas. Ibi convenit improbitati  
 Perpulchrè; statuuntque senes, quo tempore possint  
 Expatrare probrum, atque potiri corpore amata,  
 Usuram ut capiant, satiētque libidinis æstum.  
 Hora favet sceleri, & solus locus. Ecce puella,  
 More suo ingreditur, famulis comitata duabus,  
 Sēque infert hortis, ubi cum foret æstus anhelus:  
 Prospectūque probe sterili, procul arbiter omnis  
 Horto exesse putaretur (nam qui vetuli hirci  
 Abdiderant se illic, ipsā ignorante latebant  
 Per frutices, veluti volucres dum decipit auceps)  
 Illa, volens algu laticis lenire calorem,  
 Dimittit famulas oleum atque unguenta petitur,  
 Allatumque sibi: quibus horti occludere portas  
 Præcipit, ut nuda sibi sic soli esse liceret,  
 Frigidulis nitidum corpusque lavaret in undis;  
 (Limpidus areola in media has fons ore vomebat)  
 Ancilla parent domina dicto, atque abeuntes  
 Ostia concludunt horti per pseudothyrumque  
 Ereput, quasi quæis hera sola relicta fuisset.  
 Bini namque senes, qui post caretta latebant,  
 Non visi ancillis animadversive fuerunt.  
 Vix famula exierant, vix horti janua clausa,  
 Prorepsere senes latebris, dominamque petentes  
 (Sic insani ipsos æstrum exagitabat amoris)  
 Curriculo, verbis ad eam sunt talibus usi,

Blandi-



Blanditiis que minas junxere senilibus acres :  
 Corporis eia tui fac ut sit copia nobis.  
 Toti quippe tui accensi flagramus amore :  
 Et locus & tempus videri ut favet? ostia clausa  
 Ecce vides horti : neque nostris arbiter ullus  
 Lusibus est : animadversori haud cernimur ulli.  
 Ergo impunè licet, quicquid libet : & tibi fraudi  
 Nunquam erit aut nobis, in cætum convenisse  
 Est amor omnipotens : qui contra eat omnipotenti?  
 Usuram per mitte tui, ò quàm sunt Veneris res  
 Jucunda ! huic uni fas sit succumbere culpa :  
 Nobisque in gremium admissis ita falle maritum,  
 Ut non sentiat hic, lateatque injuria lecti.  
 Fac nobis pateat clauso novus hortus in horto.  
 Sin sententia stat, placido & pugnabis amori,  
 Te tua pœna manet, lapidumque tibi ingruet imber,  
 Qualis adulterio divinâ lege paratur.  
 Et nos te adversum junctim testabimur ambo,  
 (Plena fides dictis semper solet esse duorum)  
 Pinnigeri quidam calcaribus ictus amoris  
 Ut fuerit tecum juvenis deprensus amator,  
 Cui rapere inconcessa dares ut gaudia furto,  
 Dimissas abs te famulas, & clausa fuisse  
 Ostia, flagitium ut vestrum sic nempe lateret.  
 Sic illi nequam : castæ interea que puella at-  
 Trectantes corpus, Veneris praludia pangunt  
 Certatim, ad catulam nimium ut odora canum vis  
 Alludit : qui vis illam prior optat inire.  
 At Susanna gravi jam dudum saucia cura  
 Ingemuit, ducens agro suspiria corde :

*Anxia mens mi animi est (eheu) mæroreque plena,  
 Inquit, & effugium miseræ mihi non datur ullum.  
 Nam si in flagitium vobis assensero, corpus  
 Prostituens, & castum illibatúmque pudorem,  
 Morte maritalis digna est injuria lecti:  
 Sin detrectáro, & me conserváro marito  
 Integram castámque meo (ceu debeo) nec sic  
 Libera ero, poteróve manus evadere vestras.  
 Verúm alternanti hæc potior sententia visa est,  
 Detrectare nefas & propugnare pudorem  
 Illasum à vobis; quàm, dum servare laboro  
 Mortalem hæc vitam illicità ratione, **J E H O V A M**  
 Admisso offendam probro, violémque maritum.  
 Stat casus tolerare omnes, letúmque pacisci,  
 Dum pudor illasus mihi, & integra constet honestas.  
 Hús placide dictis, cum nec dum absistere vellent  
 Impurati illi seniores, improba biga,  
 (Par diro à Beliade satum, scelerúmque patronum)  
 Vicinos clamore vocat Susanna valenti.  
 Porrò vicini! patior vim: fertè mi opem, oro,  
 Obscuro vos, succurrite & ocyùs eripite istis,  
 Eripite, illasi attentant qui claustra pudoris.  
 Nec minus occlamat validè biga illa senilis.  
 Nam voci addiderat vires timor. Alter ad hortì  
 Ostia procurrit, nimirum ut proriperet se  
 (Si posset reserare) fugâ. Hoc clamore coorto,  
 Auditóque procul, ruit ecce domestica turba  
 Postico insiliens hortis, casúmque laborat  
 Nosse sua adversum dominæ, clamórque quid ille  
 Sublatus subitò velit, aut quemam hæc nova sit res.*

Incepère senes : Juvenis deprensus amator  
 Pinnigeri quidam calcariibus ictus amoris,  
 Prorupit sese aufugiens, solamque reliquit  
 Nobiscum dominam, proprio male fida marito  
 Ast hæc conjugii violavit fœdera casti,  
 Digna nimis, toga quam paulò mox saxeæ velet.  
 His verò auditis famuli erubuere pudore  
 Suffusi ingenuo, nam tantum credere castâ  
 De dominâ haud potuere nefas, ut lubrica cujus  
 Fama vacillasset nunquam, speciève probri ulla  
 Ostensa, tenui afflata esset suspicione  
 Criminis infandi. Nam verè ea fœmina castis  
 Moribus est, quâ de mentiri fama veretur:  
 Nec minus est species vitanda probri atque probrum ipsum. “  
 Postera fax solis quum inferret lumina cœlo,  
 More suo manè ad Joachimi plurimus ades  
 Confluxit populus, seniorum advenit eodem  
 Par sceleratum unâ, cum mens impura quietis  
 Impatiens esset, mortem innocuèque sitiret  
 Matrone, ut clauso lupus insidiatur ovili,  
 Quem stimulat ventris rabies atque ardore dendi.  
 Ocyus ergo jubent Susannam sistere sese  
 Ad populum, atque ibi adulterii mox dicere causam.  
 Accersita venit, comitata parentibus, illa :  
 Matri assunt etiam communis pignora lecti,  
 Et quicumque ipsam cognato sanguine tangunt.  
 Flent, queiscunque fuit castissima fœmina nota :  
 Flent omnes, casumque reæ miserantur acerbum :  
 Sola sed ipsius sibi constant lumina sicca,  
 Fronis hilaris, minimo neque consternata metu mens.

Tantum robur habet mens qua sibi conscia recti:     “  
 Nil trepidat: fama mendacia ridet inanis,     “  
 Quae, tanquam nebulae, vanescunt sole coorto,     “  
 Sic etiam non consistunt ad lumina veri.     “  
 Cum verò formâ egregiâ nitidâque cute esset  
 Ac tenera, at faciem ritu velata rearum,  
 Conscelerati illi mandant velamina demi  
 Susannæ, lenocinium ut per lumina saltem  
 Exercere queant, si fors satiata libido  
 Improba sic abeat votis frustrata pudendis.

Tunc duo surrexere senes, populi inque coronâ  
 Constiterunt mediâ, capitique rea imposuere,  
 More patrum, dextras impuras, talibus usi  
 Falsificis dictis (rea verò innoxia cælum,  
 Unde sibi auxilium, Domino confisa, petebat,  
 Suspexit, largus cui lumine defluit imber;  
 Mens immota manet; lacruma voluuntur inanes,  
 Et guttis pudibunda humectant grandibus ora.)  
 Tempus erat, quo Sol magno ardentissimus astu  
 Flagrans, orbe breves medio contraxerat umbras:  
 Cum Joachimi hujus spaciantes hortus haberet  
 Nos solos, nimius solis dum frangeret astus.  
 Venit eodem ista, ancillis comitata duabus,  
 Quas mox dimisit: sed & hortorum ostia iussit  
 Claudere, furtivis quò posset amoribus uti  
 Rectius, occulteque scelus patrare nefandum.  
 Namque ex composito juvenilibus integer annis  
 Quidam ad eam accessit: prius at latitabat in umbrâ  
 Fruticis occultus: jucundas per Veneris res  
 Hic consuevit ei, inque herba compressit adulter

Nil obluſt antem, ſed vota ad cuncta parata m̄  
 Nos, quos extremus tenuit fortè angulus horti,  
 Flagitio hoc viſo procurrimus ocyus, atque hos  
 Vidimus impuro miſcentes corpora cætu,  
 Ac membra in membris etiamnum obſcena tenentes.  
 Ille autem, ut cui erant juvenili in corpore vires  
 Integra, & ſanguis viridantia membra vegebat,  
 Evaſit, curſu melior, nos ſic fugientem  
 Curriculo, ut gelidus queis, jam tardante ſenectâ  
 Sanguis hebet, languentque effæto in corpore nervi,  
 Prendere eum haud potuiſſe liquet. Quod proximum ab illo eſt.  
 Prendimus hanc, ab eâ quærentes, diceret, ille  
 Unde domo Juvenis, quîſnam eſſet, quid ſibi vellet,  
 Quò fugeret? fruſtra at rogitaſimus omnia, namque  
 Muta metu ſtetit hæc, voluit neque dicere nobis  
 Nomen amatoris, patriamve domumve, genûsve.  
 Alma fides veri hæc nos teſtes dicere cogit.

Vix ea finierant, cum concio credidit omnis  
 Dicta viris ( ut queis ſpecies venerabilis oris  
 Longævi, & nivibus canorum tempora ſparſa,  
 Inſuper & prætura fidem omnem conciliâr ant.  
 Verum non rarò nobis imponit imago )  
 Sic damnata rei capitalis adulteriûque  
 Eſt Susanna, decus matronæ quamlibet illa  
 Servaſſet, caſtûmque illibatûmque pudorem.  
 Ducitur ad mortem lapidanda ut adultera, quamvis  
 Clara voce DEUM conteſtaretur, & ora  
 Mœſta reſolveret hæc in verba, repletet & auras  
 Quæſtibus hiſce; DEUS, qui omni ævo vivis in ævum  
 Omne, cui nihil eſt occultum, arcanaque noſti

*Cuncta, etiam nondum prognata in luminis oras,  
 Cordis & humani solus scrutare latebras:  
 Tu mihi conscius es, quàm semper casta mihi mens  
 Fugerit omne nefas, probrumque removerit ab se;  
 Tu nosti; hos falsum contra me dicere testes,  
 Improbitas quod eis sua suggerit atque libido,  
 Mèque mori scis ipse, nihil cum morte piandum,  
 Admissum mihi sit; mens pura in corpore puro est,  
 Inviolata fidesque mihi servata marito.  
 Audiit hac ad se casto de pectore fusa  
 Vota DEUS, veri vindex, assertor & horum, “  
 Qui prater meritum discrimine fortè gravantur: “  
 Cujus & hic est mos, rebus succurrere lapsis, “  
 Cum spes nulla super jam creditur esse salutis. “  
 Ergo ad supplicium rectà cum ducitur illa,  
 Cujusdam pueri complevit pectora Numen,  
 Divinum, ante annos mente instruxitque senili.  
 Hunc puerum Danielem appellavère parentes  
 Nomine presago, felicisque ominis (illud  
 Judicium Domini Hebræorum idiomate signat.)  
 Hic ergo, ut cui cor cælesti ex igne caleret,  
 Vocibus exclamans tunc talibus athera rupit:  
 Nunquam ego in istius insontis consensero mortem:  
 Innocuèque reum nunquam me sanguinis ulla  
 Ætas arguerit, nunquam cunctatio longa est, “  
 Cum de vita hominis tractatur questio, quippe “  
 Hac semel ereptà, est res irrevocabilis omnis: “  
 Sistite proinde gradum, clamantem ita protinus ipsum,  
 Attoniti aspexère omnes, atque ora tenebant  
 Intenti puero. Quid ais, puer ò bone? quare*

*Sic causa exclamare jubet? sic ille rogatus,  
 Constitit in cœtu medio, isthac verba profatus:  
 O populi! ô fido genus Israël profectum!  
 Degeneres qua tanta animos dementia cepit?  
 Siccine vos decuit, cum nec dum quaestio vobis  
 Ulla habita, aut benè res unquam comperta fuisset,  
 Israëlitidem capitis damnare pudore  
 Matronam illeso, qua facta & sapè parens est,  
 Quà de mentiri nunquam ausa est fama sinistra:  
 Talem (proh) capitis vos condemnare decebat?  
 Judicium instaurate magis, res ipsa docebit,  
 Falsidicos testes adversum illam hosce fuisse.  
 Ergo omnis populus repetit sua tecta recurrens  
 Ocyus, hac novitate rei perculsaque corda  
 Attendunt puero, quorsum hæc res denique cedat,  
 Tum puero illudens senior sic infit uterque:  
 Huc agedum, quando tibi mens est numine plena,  
 Arcani & te conscium habent cœlestia regna,  
 Judiciúmque tibi dant & partes seniorum  
 Dii superi, rerúmque novus jam nascitur ordo,  
 Ut senibus pueri prasint: jus, ô bone, redde,  
 Exemploque novo tu jam decisa retracta,  
 Toti huic ludibrium populo fortasse futurus,  
 At Daniel; Mihi eos spaciis abjungite longis,  
 Ne possint inter sese colludere, verum  
 Quasiti, falsum fabricareve mente dolosa.  
 Ipse ero quasitor, seniorum crimina discens.  
 Illi at confestim, procul abjunxère diremptos:  
 Quorum ad se Daniel judex mox evocat unum,  
 Atque his alloquitur verbis: Veterator inique,*

Cui cani mentem non abstersere dolosam,  
 Jam tua te improbitas, pœna matura, prendit,  
 Nec tibi supplicium poterit deberier ultrâ:  
 Jam pridem satis, ô satis, est tibi nequiter actum,  
 Judicii quando normam pervertere es ausus,  
 Infantes damnans, absolvens sapè nocentes,  
 Gratia dum, aut odium, pratoris vicerat urnam,  
 Cum DEUS infontem absolvi præceperit ipse,  
 Justitiâque frui propriâ sub judice justo.  
 Nunc autem (si quidem certò vidisse ais ista)  
 Sub quâ congressi patrarunt arbore probrum?  
 Ille refert: Sub lentisco concumbere vidi.  
 Cui Daniel: Probè, ait, respondes: nempe tuomet  
 Mentiris capiti: Jugulum hæc vox acta redibit  
 Per proprium, teque occidet. Jam nuntius actus  
 Divinis venit imperiis, mediûmque secabit.  
 Deinde illo amoto, ducatur ut ocyus alter,  
 Præcepit Daniel ad se: Quem talibus ipse  
 Alloquitur, dictisque hominem compellat acerbis:  
 O non Judæi generis, nec sanguine fido  
 Edite majorum, ac potius Chanaanæ propago:  
 Siccine te formæ valet infatuare venustas?  
 Siccine caca libido tibi pervertere mentem?  
 Vestras sic ne minas permixtas blanditiâsque  
 Judææ timuere nurus succumbere adaetæ  
 Vobis, ac morem spurcæ gerere improbitati?  
 At non huic, Judææ regali è stirpe creatæ  
 Progenies se sustinuit substernere culpæ.  
 Dic age jam verum: si quidem potes, ede profare,  
 Sub quâ congressus deprenderis arboris umbrâ.



*Ilex arbor erat, sub quâ illos vidimus, inquit,  
 Concumbentes, & facta illa nefanda patrans.  
 At Daniel: Et tu pulcrè mentitus es, inquit,  
 Atque malum capiti ipse tuo exitiûmque suisti.  
 Te quoque divinus jam expectat nuntius, ultore  
 Armatus gladio, quo te sociûmque trucidet,  
 Ut culpa socios pœnæ communitio jungat.*

*Hic vario fremitu commota est concio tota,  
 Latitiâ atque odio sese certantibus inter.  
 Nam quod matronam Daniel servasset, & ejus,  
 Judicio recto, vitam ac famam asseruisset,  
 Utraque in extremo quum jam discrimine staret:  
 Gaudebant omnes animis, plausuque fremebant.  
 Laus tibi, summè pater rerum, Tibi gloria soli  
 Maxima debetur, qui sic capitale periculum  
 Dispuleris, qui te fretam servaveris uno,  
 Innocuam leto tradi non passus iniquo.  
 Sic populi vox una sonat: sic cantica jungunt.  
 Nec minus accumulans Daniëlem laudibus amplis,  
 In quo etiam puero tenero tantum instâr inesset:  
 Quantus erit puer iste, aiunt, ubi creverit annis?  
 Flos hic maturo quos fructus tempore gignet?  
 Sic vati, vatisque DEO benedicere certant.  
 Ast odio flagrant contrâ justo in seniores,  
 Mens quibus hircoso juvenalis corpore sordet.  
 Devotos diris popularis concio clamat,  
 Et spurcos homines indignos munere vitæ  
 Ac loco honorato censet: qui crimine ficto  
 Matronam insontem haud veriti sint insimulare,  
 Atque illi præsens capitis generare periculum.*

*Ergò corripunt infelix par nebulonum,*  
*Abductosque necant, saxisque volantibus urgent,*  
*Sicut erant meriti. Justissima talio quippe* “  
*Postulat, ut, si quis falso quem probro onerare* “  
*Ausus erit, capiti que hominis generare periculum,* “  
*Innocui, is post supplicio mactetur eodem,* “  
*Cum verum fuerit productum in luminis oras,* “  
*Discussis nebulis, quibus obseptum fuit antè.* “  
*Helkiades autem carà cum conjuge numen*  
*Divinum ante alios claro extollebat honore,*  
*Quod natam sibi Susannam haud modò crimine puram,*  
*Verunt etiam in dulcis servasset lumine vitæ.*  
*His laudes junxit socias Joachimus, & omnes*  
*Quotquot erant tribus his cognato sanguine juncti.*  
*Hoc ob judicium Daniel erat omnium in ore,*  
*Totòque in populo illustri florebat honore,*  
*Quo fuit egregiè annis procedentibus auctus.*

FINIS SUSANNÆ.

---

NORIBERGÆ,

Typis Kauffmannianis.

---

M D C I V.